

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1064

Auteur(s) : Richard de Creully [particulier]

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1184-1218]

Lieu d'émission : Caen

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard de Creully, frère de Philippe de Creully, confirme avec serment la donation des moulins de Mesnilbuye faite par son père Richard, fils du comte de Gloucester, à l'église et à la mense capitulaire de Bayeux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCLXXIII, t. 1, p. 321-322.

Dissertation critique

Datation proposée par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Omnibus ad quos praesens carta pervenerit, Ricardus de Croilleio, salutem. Notum sit vobis quod ego Ricardus concessi, et hac praesenti carta mea confirmavi, donationem molendinorum de Maisnillo Buie, quam Ricardus, filius comitis, pater meus, fecit ecclesiae Baiocensi, ad communiam ejusdem ecclesiae, tempore Philippi, episcopi Baiocensis, in recompensationem damnorum ab eodem patre meo eidem ecclesiae illatorum, et quam Philippus de Croilleio, frater meus primogenitus, eidem ecclesiae confirmavit, cum omni integritate absque ulla reclamazione mei vel haeredum meorum. Sciendum est autem quod si aliquis hominum meorum de villa de Maisnillo Buie, de feodo meo, effugerit moltam praedictorum molendinorum, ego justiciabo eum ita quod molta praedictae ecclesiae reddetur, et emenda mea erit ; et si aliquis praefatorum hominum meorum subtraxerit se ab operatione dictorum molendinorum, et apportatione molarum, ego eum justiciabo ad id faciendum. Praeterea, serviens praedictae ecclesiae Baiocensi, vel firmarius dictorum molendinorum, in nemore meo de Maisnillo Buie accipiet quicquid necessarium fuerit ad operationem eorundem molendinorum, per liberationem servientis mei, qui si, semel requisitus, id facere noluerit, praedictus serviens ecclesiae, vel firmarius molendinorum, capiet inde quantum rationabiliter necessarium fuerit, et in ipsis molendinis salva erit mihi mea molta ad usum hospitii mei, in praefata villa. Haec autem omnia me fideliter servaturum promisi, et super sanctum Evangelium juravi. Et ne hoc in posterum a me, vel haeredibus meis, revocetur, praesenti carta mea, sigillo meo munita, confirmavi. Hoc etiam totum concessi apud Cadomum, ad scaccarium domini regis, coram domino Willelmo, filio Radulfi, tunc temporis senescalli Normanniae.